

Zeitschrift für Malakozoologie.

Herausgegeben

von

Karl Theodor Menke, M. D.

1845. (Es erscheint monatlich ein Bogen.) **October.**

Diagnoses Testaceorum quorundam novorum;

auctore R. A. Philippi.

1. *Dolium ampullaceum*, n. sp.

D. testa maxima, ovato-globosa, albido-fulva, immaculata; costis transversis majoribus tribus in anfractibus superioribus, circiter duodecim in ultimo, superioribus distantibus; interstitiis superioribus stria prominula divisis; suturis profunde canaliculatis.

Alt. $6\frac{1}{3}$ poll., diam. 5 lin.

Patria: Oceanus pacificus.

Ab affini *D. galea*, quod *D. haemastomum* Jayi dicitur, facillime distinguitur costis transversis anfractus ultimi modo duodecim, non octodecim, superioribus distantibus, neque approximatis.

2. *Dolium marginatum*, n. sp.

D. testa globoso-ovata, albida; costis transversis rufo maculatis, tribus in anfractibus superioribus, duodecim in ultimo; interstitiis nudis; suturis parum profundis; labro extus reflexo, intus marginato, integro.

Alt. 27, diam. 23 lin.

Patria: Oceanus pacificus.

Differt a *D. fimbriato*: forma ovata, spira elata, labro haud dentato; a *D. costato* costis maculatis,

suturis haud canaliculatis; a *D. variegato*, pro cuius varietate male a Kienero tab. 2. f. 3. a. haec nostra species habetur, costis distantibus longe paucioribus.

3. *Dolium crenulatum*, n. sp.

D. testa globoso-ovata, albida; costis transversis rufis, quatuor in anfractibus superioribus, sedecim ad octodecim in ultimo; interstitiis superioribus stria triplici, medianis stria duplici, infimis stria unica divisis; suturis canaliculatis; labro intus incrassato; columella basi crenulata.

Alt. 34, diam. 27 lin.

Habitat in mari Antillarum.

Differt a *D. marginato*, *variegato*, *fasciato* cum numero et colore costarum, tum interstitiis linea elevata divisis, nec nudis.

4. *Delphinula ducalis*, n. sp.

D. testa ovato-conoidea, acuta, albida, ferrugineo maculata; costis duabus spiniferis viridibus; striis transversis muticis; spinis aequalibus, reversis, sulcatis; apertura basi in auriculam canaliculatam producta.

Alt. 29, latit. cum spinis 31 lin.

Patria: ignota.

Habitus fere omnino *Turbinis cornuti*; apertura, umbilicus, spinae sulcatae *Delphinularum*; operculum ignotum. An potius *Turbo*?

5. *Turbo venustus*, n. sp.

T. testa imperforata, ventricoso-ovata, nodifera, fusco viridi, maculis et zona in anfractu ultimo lacteis ornata; nodis in anfractu ultimo quinqueseriatis; nodis seriei secundae maioribus fornicatis superne lacteo maculatis; apertura intus argentea.

Alt. $13\frac{1}{2}$, diam. cum spinis $13\frac{1}{2}$, altit. aperturæ exterioris 9 lin.

Patria: ignota.

Species ob sculpturam, maculas lacteas, aperturam argenteam pulcherrima. Series prima nodulorum suturam cingit, noduli seriei tertiae et quintae minores sunt.

6. Turbo.

T. testa depresso-globosa, imperforata, crassa, transversim sulcata, albo et fusco variegata; sutura nodis coronata; spira brevi, obtusa, infima facie turgida; columella basi in auriculam producta. Alt. 19, diam. 22 lin.

Patria: ignota.

Hanc speciem a dorso inspectam pro varietate T. verisicoloris haberes, at sulci transversi pauciores, profundiores, cingula elevata formantes, et noduli ad suturam, quales in T. coronato occurrunt, facile eam distinguunt. In parte ventrali umbilici defectus maius discrimen addit; loco eius in specimine meo fovea in fauces perforata adest, quam fortuitam puto.

7. Haliotis nodosa, n. sp.

H. testa maxima, suborbiculari, convexa, transversim et oblique undata, undis in nodos elevatis, caeterum laeviuscula, rufa; foraminibus tubulosis, magnis, distantibus; margine externo a foraminibus inde perpendiculari, plano; pagina interna e viridi et rubro pulcherrime margaritacea. Long. $6\frac{1}{4}$, latit. $5\frac{1}{2}$, alt. $2\frac{1}{3}$ poll.

Patria

Inter maximas generis species recensenda, solida, ponderosa. Spira parva, lateralis. In parte centrali sive in testa iuvenili sulci circiter 24 transversi a plicis obliquis undatis secti distinguuntur, deinde vero haec sculptura minus distincta fit, nodique magni minus regulariter dispositi emergunt, sulci vero omnino evanescent. Epidermis satis crassa fusca multis in locis remanserat. Foramina pervia modo tria. Margarita maxima ex parte rube-scit, cum viridi commixta est, paucasque maculas fuscas habet.

8. *Haliotis fulgens*, n. sp.

H. testa maxima, ovata, convexa, sulcis transversis superficialibus exarata, rubra; spira parva, laterali; foraminibus parum tubulosis, satis magnis; margine sinistro haud prominente; margarita pulcherrima, viridi, fusco mixta. Long. 7, latit. $5\frac{1}{3}$, altit. $2\frac{1}{2}$ poll.

Patria.

Ab affini H. gigantea Chemnitzii distinguitur testa magis convexa, foraminibus parum tubulosis, et margarita pulcherrima viridi, quae margaritam H. Iris superat, cum H. gigantea margaritam albam, argenteam habeat. H. Iris margine sinistro prominente, spira perpendiculari, sculptura et colore dorsi differt.

9. *Haliotis sulcosa*, n. sp.

H. testa suborbiculari, depressiuscula, rubente; costis transversis circiter 30 subsquamosis; spira satis magna prominula; foraminibus perparvis; pagina interna albo-margaritacea. Long. 33, latit. 25, altit. 10 lin.

Patria: Nova Hollandia.

Costae transversae triginta inter suturam et foramina; novem inter foramina et marginem, striis incrementi confertis subsquamosae, longe frequentiores et minus elevatae quam in H. scabricosta. Color dorsi e cinereo rufus, margarita paginae internae alba, argentea, maculis fuscis, quales in H. Iride occurrunt, mixta. Foramina multo minora quam in H. scabricosta.

10. *Tellina Gruneri*, n. sp.

T. testa inaequalvi, ovata, tenui, alba, transversim striata, postice brevior, ibique in valva dextra minus convexa acute carinata, in valva sinistra sulco exarata; margine ventrali valde tortuoso, convexo, haud sinuato; apicibus parvis. Long. 22, altit. 17, crass. 9 lin.

Patria: Antillae; communicavit d. Gruner.

Apices ad tertiam longitudinis partem siti, acutiusculi, supra marginem dorsalem parum prominent. Extremitas antica exacte elliptica; postica supra angulum a carina excurrente formatum primum sinum habet, unde sulcus valvulae sinistrae oritur, deinde convexa fit. Ligamentum extus, et antice area distincta conspiciuntur. Dentes cardinales perparvi; duo in valva dextra, unus in sinistra; dentes laterales nulli. Sinus palliaris maximus impressionem muscularem anticam, sublinearem fere tangit.

11. *Tellina coarctata*, n. sp.

T. testinaequivalvi, ovata, subtriangulari, subaequilatera, solidiuscula, alba; latere postico longe altiore, in valva sinistra bis, in dextra semel carinato; valva dextra medio coarctata; margine ventrali parum tortuoso, postice subsinuato; apicibus tumidis. Long. 29, altit. 24, crass. 16 lin.

Patria: China.

In multis collectionibus sub nomine *T. lacunosae* asservatur, sed longe differt. Testa enim satis crassa et solida, nec „tenuis, fragilis, ad instar chartae tenuissimae“; forma longe diversa; margo dorsalis uterque declivis, extremitas antica angustata etc. Cardo exacte ut in *T. Gruneri*; sinus palliaris minus profundus, modo usque ad $\frac{2}{3}$ longitudinis porrectus; impressio muscularis antica oblonga, non linearis; postica usque ad carinam extensa. Contra distinguitur:

12. *Tellina lacunosa*, Chemnitz.

T. testa ovato-oblonga, tenuissima alba, medio constricta; extremitate postica brevior, truncata; apicibus tumidis; margine ventrali profunde sinuato. Long. 18, alt. 15 lin.; crass.

Patria: Guinea.

Male cl. Deshayes cum hac *T. lacunosa Chemnitzii* speciem fossilem Italiae borealis, *T. tumidam Brocchii*, confudit, quae cum figura Chemnitzii parvam similitu-

dinem habet, majorem cum *T. coarctata* nostra. Sic eam definio:

13. *Tellina tumida*, Brocch.

T. testa ovata, subquadrilatera, solidiuscula, tumida, aequilatera; valva dextra medio coarctata et in latere postico obscure bicarinata; apicibus tumidis; margine ventrali postice sinuato, parum tortuoso. Long. 39, alt. 36, crass. 21 lin.

*Margo dorsalis uterque ventrali fere parallelus, extremitas utraque aequae alta, unde forma non subtriangularis, ut in *T. coarctata*, sed fere quadrilatera. Impressiones musculares et cardo fere exacte ut in *T. coarctata*, sed impressio muscularis postica ultra carinam extensa est.*

Diagnosen einiger neuer Heliceen.

Vom Dr. L. Pfeiffer.

1. *Helix Buffoniana*, Pfr., *testa anguste umbilicata, subglobosa, distincte granulata, plicis validis obliquis exasperata, castanea, albo irregulariter striata, fasciis 3 nigricantibus obsolete ornata; spira parvula, conoidea, obtusa; anfr. 4 convexis, ultimo permagno, vesiculari; apertura suborbiculari, intus livida, margaritacea; perist. obtuso, marginibus conniventibus, columellari arcuato, fornicatim reflexo, umbilicum fere tegente, basali incrassato, breviter reflexo. — Diam. mai. 47, min. 38, alt. 34 mill.*

Rio frio, Mexico.

Vom Herrn Consul Gruner mir gütigst mitgetheilt, der *H. Humboldtiana* sehr nahe verwandt, doch durch die starke Sculptur, die beträchtliche Ausdehnung des letzten Umganges (gleiche Anzahl bei doppelter Grösse) und durch die Bildung des Columellarrandes verschieden.

2. *Helix levis*, Pfr., *testa perforata, globosa, tenui, levi, oblique striata, obsolete granulata, albida,*

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Zeitschrift für Malakozoologie](#)

Jahr/Year: 1845

Band/Volume: [2_1845](#)

Autor(en)/Author(s): Philippi Rudolf Amandus

Artikel/Article: [Diognoses Testaceorum quorundam novorum 147-152](#)